

40 Jans  
530 a (18)

70.

PARADOXON

31.

De

**TORTURA IN  
CHRISTIANA REPU-  
BLICA NON EXER-  
CENDA.**

*Olim*

in Academia Argentoratensi

*Propositum*

à

**IACOBO SCHALLERO,**

S. S. THEOL. D. ET PHIL.

Pract. Prof. P.

et

**SOLENNITER**

defensum

à

**FRIDERICO KELLERO,**

Augusta-Vindelico.


Die 30. Septemb. M. clb. lbc. LVIII.

*Ob argumenti raritatem nunc recusum.*

**F E N Æ**

Sumptibus JOHANNIS JACOBI EHRTENS.

M. DC. LXXXVIII.



ΣΥΝΘΕΩ.

ΠΑΡΑΔΟΧΟΝ

DE

QVÆSTIONE PER TORMENTA IN  
CHRISTIANA RE PUBL. NON  
EXERCENDA.

AD BIBL.  
UNIVERS.  
MONAC.

**A**Liter *J*cti *ius tractant*, aliter *Philo-*  
*sophi*, inquit Cicero 3. *Offic: illi, quatenus tenere*  
*manu res possunt: Philosophi, quatenus ratione &*  
*intelligentia.* Philosophus ergo, ubi rationes non  
invenit, suspendit judicium, aut disputando in utramque  
partem veritatem, quæ omnium disputationum finis esse  
debet, investigat. Occurrunt autem NEGATIVAM in par-  
tem rationes non contemnendæ.

§. I.

**A**SILENTIO SS. LITERARUM. Respublica He-  
bræorum satis feliciter administrata fuit à Mose, Josua, Sa-  
muële aliisque piis judicibus: sic & à Davide, Salomone, Josa-  
phato, Hiskia, &c. & tamen ne vestigium quidem invenimus,  
fontes per Torturam quæritos. Fuerat quoque *Populus dura cer-*  
*vicis.* Deut. 31. 27. & vix hodie tanta perpetrantur scelera,  
quanta apud Prophetas leguntur. Ad ista tamen eruenda nulla  
fuit adhibita tortura: neque ullum deliquium passa est justitia.  
Deus ipse, à quo omne judicium & justitia in terris, Politiam Ju-  
daicam propria sapientia constituit, fuit Legislato, scelerum  
vindex acerrimus & indagator prudentissimus, nihil de tortura

4.

lancivit. Nisi E, crassæ alicujus ignorantia aut oblivionis Deum insimulare velimus, ad minimum statuemus, torturam non esse necessariam. In N. T. & primitiva Ecclesia itidem alium silentium. Imò Scriptura videtur improbare, *Job. 19. 4.* Pilatus Christum flagellandum curavit; deinde foras adducens dicit: *Vide, adduco eum vobis foras, quod nullam in eo causam invenio.* Quæ verba non incommode sic intelligi possunt. Adduco eum foras, & ne quidem per flagellationem, acre illud per torturam (species enim fuit Veteribus, ut mox patebit ex *Act. 22, 24.*) examen ullius criminis capitalis confessionem ab eo extorquere potui. At quis Christianus Pilati processum libenter imitaretur? Peccavit Pilatus extra controversiam Christum flagellando; vix autem peccasset, si quæstio per tormenta licita fuisset. Dices: Non debuisset ad torturam procedere Pilatus. Resp. At totius populi vox & fama communis est secundum quosdam sufficiens indicium ad torturam: *est testimonium* apud Cic. Topp. cap. 5. Clarius exemplum occurrit in Paulo. *Act. 22. 24.* *Jussit Tribunus Paulum ducti in castra, edicto, ut in eum flagris inquireretur: ὅνα ἐπιγνώ, δι' ἧν αἰτίαν ἔτασ ἐπεφώνον αὐτῶ, ut resciret, propter quod crimen sic clamarent adversus eum.* At Paulus, v. 25. protestatur, partim quod sit Romanus, partim quod non liceat *μασίλευναι καὶ κτυπεῖν, indemnatum flagellare.* Frustra autem protestaretur, si jure licuisset ante dictam sententiam suspectos per torturam quærere. Patet quoque, fuisse quidem apud Gentiles Romanos torquendi consuetudinem; sed hanc, ut juri meliori obviantem, ab Apostolo Paulo correctam & si ante sententiam exerceatur, repudiata. Quid, quod & alterum, se sc. civem Romanum esse, nobis præbeat argumentum. Si enim Respub. Romana stare potuit & supplicium capitis sumere de civibus suis, torturam non adhibita, cur non & in aliis casibus? Zepperus de LL. Mosaicis. l. 5. c. 10. in hæc verba erumpit. *Omnes in Imperio Romano Germanico Cives nunc Romani sumus; adeoque*

5.

*que eodem adhuc gaudent privilegio & jure incarcerati, & de crimine aliquo suspecti redditi.* Frustra autem hæc intelliges sine profanarum literarum adjumentis. Livius l. 10. meminit legis Porciæ: *Porcia Lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.* *Valeria Lex, cum eum, qui provocasset, virgis cadi securique necari vetuisset.* Cæsar in Consultatione de Conjuratis apud Salust. *Catilin. Quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? An quia Lex Porcia vetat?* Ipse Salust. Orat. in Ciceronem Ciceroni graviter objicit, quod cives Romanos Catilinæ socios indicta causa contra legem Porciam necasset. *Cum omnia judicia, inquit, omnes Leges in tua libidine erant: cum tu sublata lege Porcia, erepta libertate omnium nostrum, vita necisque potestatem ad te unum revocaveras.* Ipse Cicero pro Rabirio perduellionis reo, *Porcia Lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit.* Plinius l. 7. c. 43. de L. Corn. Balbo accusato refert, quod falso civitatem Romanam ulurparet, cum peregrinus esset: *ideoque de iure virgarum, quod in peregrinum, non civem erat, in consilium missum.* Festus refert, illam legem Catonem *pro scapulis appellasse.* *Pro scapulis, inquit, cum dicit Cato, significat pro injuria verberum.* Quæ ineptissimus in his literis Paulus Diaconus addit, non est, quod attendamus. Cicero Orat. IV. Catilinaria etiam *Legis Sempromia* mentionem facit de *Civibus Romanis* constitutæ, sc. ne quis Civis Romanus, injussu Populi, multaretur. Optimè tamen & clarissimè illa intelligi possunt ex Ciceronis Accusat. V. in Verrem. Inter alia capita accusationis erat, quod multos Cives Romanos virgis cæciderit, in eosque talia supplicia expromserit, quæ in convictos maleficij servos constituta sunt. *Non potes hoc negare, inquit, in foro Lilybei, maximo conventu, C. Sexviliam Civem Romanum &c. ante tribunal, ante pedes tuos ad terram virgis & verberibus adjectum.* Retinenda enim putarunt Romani jura

ni jura libertatis, non tantum Romæ, ubi Tribuni plebis, ubi cæteri Magistratus, ubi forum plenum judiciorum, ubi Senatus Autoritas, ubi existimatio Populi Romani: sed & ubique terrarum & gentium violatum jus Civium Romanorum, statuerunt, id pertinere ad communem causam libertatis & dignitatis. In seqq. refert Gavii supplicium. *Repente Verres Gavium, inquit, proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari & virgas expediri jubet. Clamabat ille miser, se Civem esse Romanum, &c. deinde jubet undique hominem proripi, vehementissimèque verberari. Cadebatur virgis in medio foro Messana Civis Romanus, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri, inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc: CIVIS ROMANVS SVM &c. O nomen dulce libertatis! O jus eximiũ nostra civitatis! O Lex Porcia, legesque Sempronia &c. apud Ciceron. l. 10. Ep. 32. Asinius Pollio describit Fadii supplicium, qui frustra clamabat: CIVIS ROMANUS SUM. Atque hoc civibus Romanis datum erat privilegium; qui cives non erant, immunes non erant. Sicuti Marcellus Consul colonis, quos Casar Novum Comum in Gallia deduxerat, civitatẽ ademit, & unum illius Colonia Decurionem, qui Romã venerat, virgis cecidit: addens, hanc se ei inurere notã, quod Civis Romanus non esset. Plutarch. in Casar. Interim tamen, si capitaliter à Populo, Senatu aut Principe damnati erant, virgis antè cadebantur, vel flagellationẽ subibant, tanquam civitatem hoc modo amittentes, qui illam habebant, & ingenuitatem ac libertatem. Ita Nero cum hostis à Senatu judicatus erat, & ut puniatur more majorum, interrogavit, quale id genus esset pœnæ, responsum est: *nudi hominis cervicem furca inseri, corpus virgis ad necem cedi.* Sueton. in Neron. c. 49. Galba quoque Tutorem, quod pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit: *implorantique leges & Civem Romanum testificant, &c.* multò præter cæteras altiore statui crucem jussit. Id in Galba. c. 9. Extra hunc casum, Civis Romanus*

ius verberibus cedi vel strangulari non poterat; neq; fas erat in eũ animadverti, iniussu Populi, ut pluribus probat Briffon. l. 1. select. ex jure Civil. antiq. c. 13. Atque hoc est, quod Paulus dicit, se civẽ Romanum & indemnatum flagellari.

Dices: Indemnatus ideò tantum dicitur, non quod torturæ non sint licitæ; sed tantum, quia Tribunus egit contra jus commune & ordinẽ judiciorũ. *Judicia enim criminalia non debent incipere à questionibus & Tormentis, ut docent Iuri, sed tum demum, si de facto constet & maleficium sit certũ.* Tribunus autẽ propter incõditum clamorem & tumultum factum nondum cognovit. Resp. 1. At dantur casus, ubi ad torturã procedunt, licet de facto certò non constet. E. g. in Latronibus, si cadavera peremptorũ abscondunt aut in flumen projiciunt. Sic crimen furti, crimen adulterii est aliquando difficillimæ probationis, ideòque sæpè, si de facto constet saltem per conjecturas & præsumptiones, puta per famam, ad torturam procedit iudex. Idque etiam cautum videtur in ordinatione Criminali Caroli V. Imp. art. 6. Erat autem h. l. fama & vox publica cum tumultu; ubi non videtur hic Tribunus planè contra ordinem juris egisse. 2. Vox *ἀνατάξις* non tantum significat nullam facti certitudinem, sed plus, & præsupponit, judicialem sententiam nullam præcessisse. Ut enim vox *κατάξις*, contemno præcipuè in negotio forensi, ut h. l. includit aliquam per sententiam condemnationem: ita & *ἀνατάξις* est, in quem nulla lata est sententia. Mulier Job. 8. 11. in adulterio deprehensa factum negare non poterat, neq; tamen contemnatur à Christo. Christus noluit sententiam mortis in illam pronunciare, ut lapidaretur. Paulus E. *ἀνατάξις* iniquum judicavit virgis cedi & torqueri ante sententiã. Objiciunt quidam Num. 5. 13. *de portione amara exploratoria adulterii.* Resp. Forsitan sibi imaginantur, *achamenidem aliquam radicem, quæ in vino potato, per cruciatu noxiis confessionem expressit,* ap. Plin. lib. 24. c. 17. 58. *notu per varias Numinum imaginationes.*

*ginationes.* Ista potio nullam habeat convenientiam cum tortura civili. Nam 1. foemina suspecta non ducebatur ad iudicium secularem vel ad forum civile; sed in templum ad forum Ecclesiasticum & ad Sacerdotem, 2. nec *modus* probationis erat *civilis*, aqua enim physica sua virtute uterum non scindebat, sed *miraculosus*, quem hodiè imitari sine tentatione Dei non possemus. Sicut etiam ista *probatio castitatis per ferrum candens* aut *duellum* rectè ab Ecclesia sublata est. 3. Erat tantum in uno genere delicti sc. adulterii; non in omnibus. 4. Nec erat per modum quaestionis, sed poenae; qua statim ejusmodi mulier moriebatur. Sicut ergo Deus propter *συληροκαεδίαν* Judaeis concessit libellum repudii: ita & Zelotypia laborantibus subvenire voluit, non ex tribunali, sed miraculo extraordinario.

Uterius objiciunt: Quamvis in V. T. non usurata fuerint tormenta; alia tamen ferè consimilia media usurpabantur, & *sartes* in dubiis & occultis maleficiis, quorum autores ignorabantur, adhiberi solitas scimus. *Josua 7. 14. 1. Samuel, 14. 3. Jona 1. 7.* Resp. 1. Posito, sed non concesso; Interim illae sortes non tantos in se continebant cruciatus corporis, ipsa poena graviores, i. e. certas poenas pro incerto adhuc scelere. 2. Pertinent haec ad sortes *divinatorias*, quas in usu fuisse non statim ex h. l. probatur. Etiam si quoque probaretur, licitas tamen fuisse, nulpiam apparet, nisi accesserit *Dei speciale mandatum* & certa sic promissio, Deum sortem directurum. Huc referimus 1. exemplum Achan Josuae. 7. 14. ubi Deus mandavit sortem, & hoc ipso promissit, se ita directurum, ut in eum verè cadat, qui quaeritur. Neque tamen Josua sorte ista divinitus delinquentem monstrante contentus erat, sed in super vers. 16. propriam a reo postulavit confessionem. 2. In Saulis facto circa eruendam transgressionem Jonatae. 1. Sam. 14. 38. Chrysoft. sane hom. 14. ad populum putat, sortes divinatorias illicitas fuisse, Dæmonemque instigasse Saulem, ut peccato peccatum addere, ac juramentum

juramentum malè conceptum pejus impleret parricidio Jonathae. Neque multum ab hac sententia recedunt Veteres Theologi. *Osiander in Paraph. Josuae exemplum, qui sorte peccatum Achan inquisivit, imitatur externè, sed non eadem pietate. Sunt enim hypocrita sanctorum hominum simia.* Non igitur vult hoc exemplum cum facto Josuae comparari. Ad preces ad Deum praemissas & eventum respondet *Brennius hom. 47. p. 533. in h. l. Oratio sonus est sine mente, & oris est locutio, non fidei precatio. Quid enim mirum, si hypocrita in piorum schola diu versatus, piorum etiam verba & orationes addiscat. Sed inquis, si hac oratio sine fide est, quò fit, quod Dominus eam audiat?* &c. *Fecit Dominus, quod rectum erat, & effecit, ut Jonathas deprehenderetur, non quia Saul precatu est, sed quia alioqui, etiamsi nemo precatur, judicium sortis à Deo proficiscitur. Id quod perspicuè indicat fors illa à nautis apud Prophetam Jonam missa, illic enim clamant quidem nauta, sed ad Deos suos factitios, & nemo inter eos erat, praeter Jonam, qui verum Deum coleret, &c. nihilominus tamen fors missa cecidit super Jonam.* Nautarum fors erat *divinatoria*, secundum plurimos Interpp. illicita: quod si Saulis fors cum hac conveniat, nihil impedit, quò minus hanc quoque divinatoriam & illicitam dicamus; non obstante, quod Deus hanc quoque sortem direxerit ad bonum. Nam & Nebucadnezaris Dæmoniacam sortem *Ezech. 21. 21.* direxit ita, ut Jerusalem puniretur. Etiam si quoque omnia concederentur, tamen nil facerent ad rem. 1. Quia istae sortes jactae vel tractae fuerunt peculiari vel mandato vel instinctu divino. At in Judiciis ordinariis Hebraeorum tale mandatum non habuerunt, ut extraordinarias inquirendi vias tentarent. 2. Quia nullus erat, reus etiam praesuratus; effectus offensionis divinae sc. & silentii apparebat, delinquens planè ignorabatur, neque humana industria investigari poterat: at in torquendo jam praesupponitur reus ad minimum, 3. Immediatè Deus offendebar, non proximus. 4. In

In periculo bonum publicum concernente, non privatam unius vel alterius. 5. Extra judicialiter in bello, non in ordinario fori processu. Nam humana & ordinaria Hebræorum judicia, uti non erant ordinata ad occulta judicanda, quæ Deus suo iudicio reservavit; ita etiam non habebant vel mandatum tentandi miraculosas inquirendi vias, neque promissum alicujus miraculosæ manifestationis aut effectus. Hæc enim sortium communem rationem excedunt. Unde nullibi legimus, iudicibus Hebræis sortes vel mandatas vel promissas, nisi fortè *divisorias*. 3. Nautarum fors apud Jonam c. 1. 7. erat *divinatoria*, superstitiosa, illicita. Deus tamen illam, licet malam, ita direxit, ut Jonas reus deprehenderetur, culpam agnosceret, & ad Deum rediret. Simili modo direxit omen superstitiosum Philistæorum 1. Samuel. 6. 9. *Si, inquit, vacca arcam Domini vehentes ascendunt contra Bethsames; Deus Hebræorum hanc morborum plagam nobis inflixit.* Hieron. in h. l. *Jonæ. Fugitivus sorte deprehenditur, non viribus sortium, & maxime sortibus Ethnicorum, sed voluntate eius, qui sortes regebat incertas.* Non igitur credibile est, iudices Hebræos in suis iudiciis sortibus usos ad scelerata occulta eruenda. Quam ob causam etiam *sortilegia* pro furtis inveniendis in Jure Canonico severe prohibentur, & clerico transgredienti poenitentia imponitur. c. *in talibus. X. de Sortilegiis.* Ratio peti posset. ex c. *fontes 7. caus. 26. q. 5. Sortes, quibus cuncta vos in vestris discriminatis iudiciis (quod Patres damnaverunt) nihil aliud, quàm divinationes & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Christianos ultra volumus nominari, & ne exercentur, sub anathematis interdicto prohibemus.* Deut. 18. 10. omnes hæc ariolandi & augurandi artes, in quibus etiam Sortilegia continentur, cum *res furto ablata vel similia*, verba sunt Osiandri super hunc locum, *indicantur, prohibentur & omnibus interduntur.* *Abominations gentium* vocat Deus; apud quas sc. legimus

*mus Sortes Bycias, Delias, Prænestinas, Antiatinas, &c.* Parum etiam ab ejusmodi differunt sortibus, *ferrum candens vel aqua fervens*, quæ in iudiciis abesse debere, eleganti ratione ostendit Stephanus Papa 2. *quæst. 4. c. consuluisti. 20. in medio. Ferri candentis vel aqua ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent canones: & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosè ad inventionem non est præsumendum. Spontaneè enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore commissæ sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.* Atque hæc rationes sine dubio etiam apud Hebræos validæ fuerunt; neque præsumendum, iudices ad occulta eruenda sortibus usos, quibus *temeritas & casus, non ratio aut consilium*, ut loquitur Cic. 2. de divinatione, *inest.*

Aliter excipit Keckermannus, *disp. 32. curs. Phil. q. 4.* In vetusta illa Judaica Repub. simplicitas & ingenuitas major erat, utpote in qua homines unius naturæ ac gentis, uniusque religionis conformiter vivebant, atque adeò in ea minor rerum confusio erat. Indeque instituta populi illius non adeò accommodata sunt ad Respubl. temporum horum, quibus & malitia & in omne scelus decuplo major libido, & ubi in una, non dico Regione, sed oppido, vico & pago cohabitant homines gentium diversissimarum, atque adeò etiam ingeniorum & morum: Ita ut omnino justitiæ administrandæ in tanta confusione longè difficilior ratio sit. Resp. 1. An major hodiè malitia sit, quàm Judæorum tempore, merito dubitare possumus, si conciones & querelas Prophetarum expendamus. Sedebat Populus Judaicus inter varias gentes, habebat ex illis servos & ancillas, mercimonia cum illis exercebat; hinc factum, ut vitia omnium vicinarum gentium paulatim attraxerit. Quoties enim legitur ambulasse secundum *viam gentium*, juxta *abominations gentium.*

Hinc Sodomitis tolerabiliores assignat penas Salvator *Mat. t. h. II* 24. & *Jerem. 23. 14.* omnes comparat Sodomam in eolis; imò peccata Judæorum majora dicit, quàm Sodomorum *Thren. 4. 6.* Clarissimus quoque locus extat *Exech. 16. 48. seqq.* ubi Deus Sodomam & Samariam peccata leviora pronunciat, quàm Judæorum: 2. Judæi fuerunt unius naturæ & gentis homines vix aliter, quàm ut Tacitus Germanos, in *Germ. c. 2. n. 1.* credidit indigenas; minimæque aliarum gentium adventibus & hospitibus mixtos. Ut autem diversa in Regno sunt provinciæ: genio distinctæ; ita apud eos erant Tribus, quæ dialecto, ut Ephraimitæ *Jud. 12. 6.* differabant; ceu hodie superioris & inferioris Germaniæ incolæ; qui etiam genio & naturâ, quantum ex benedictione Jacobi *Gen. 49.* aliisque Populi Israelitici descriptionibus colligere est. Religione quoque post Salomonis tempora discrepabant, & quamvis Hierosolymæ externus cultus fuerit retentus: tamen populus ad Idololatriam pronus peculiaribus sibi faciebat sacra. *secundum numerum civitatum Deitui &c. Jerem. II. 13.*

§. 2. AB EXEMPLIS ALIARUM RERUM.

In regno Arragoniæ torturam ignotam esse, Gomecius testatur tom. 3. resolut. c. 13. à princ. ut & in Regno Angliæ: Thom. Schmith: l. 2. de Rep. Angl. c. 27. *Equaleo aliquem torquendum subicere; ut inter confessionem crimen elicias; præter morem gentis Anglicanæ est; & servile aliquid sapit. Nam qua in re Reipub. unquam inseruiverit; qui membra sic protensa atque ultra justam mensuram longitudinem producta habuerit? nam si in fontem esse contingat, qua par esse potest compensatio, ut illi de injuria satisfiat: si mori oporteat, quod genus feritatis est, ipsum prius excarnificare. Et enim expressa per tormenta confessio nibili aestimatur.* Cum autem Angli hinc descendant à Germanis, verisimile est, Torturam non per multa sæcula apud Germanos quoque esse in usu: Lud. Vives comm. in l. 19. Augustini de C. D. c. 6.

*Quomodo*

*Quomodo vivunt tam multi gentes & quidem barbara; ut Græci Latinique putant, quæ ferum & immane arbitrantur; torquent hominem, de cujus facinore dubitatur.*

§. 3. A PRIMA ORIGINE. Quæstionem per tormenta plerumque Tyranni introduxerunt ad stabilendam dominationem; & eruendos puniendosque, quos suæ Tyrannidi imminere suspicabantur. Polyd. Virg. *Nimrothum* primum inventorem facit: 2. de rer. invent. cap. 3. Apud *Joseph. de imperio rutionis* Antiochus Epiphanes torturæ Judæos subiecit. In Romanam Civitatem ad Sextum Tarquinium Superbum; dignum scilicet Autorem, quem imitemur, respicere videtur Lud. Viv. in *August. l. 19. de C. D. c. 6.* & consentit *Godfridus Viterbiensis Chron. part. 10. Iste sc. Tarquinius prius excogitavit carceres, & omnia genera tormentorum.* At in nec Tarquini Prisci ante Tarquinium Superbum Parricidas tormentis admos, & insidiarum Autores proderè coactos fuisse, constare ex *Dion. Halicarnass. l. 3. in fine.* Cicero in *Partit. Orat. c. 16. Atheniensium & Rhodiorum institutis accenset*, apud quos etiam liberi homines (id quod acerbissimum) civesque torquentur. At Atheniensium & Rhodiorum Respubl. erant imperfectissimæ, pluribusque vitiis laborabant.

§. 4. A PROPORZIONE QUÆSTIONIS ET POENÆ. Ipsa ratio dicitur, quæstionis dolorem non debere majorem esse, quàm dolorem poenæ ordinariæ. At longe gravior est tormentorum dolor, quàm si quis supplicio afficiatur, quod plerumque citò perficitur & stuporem sensuum secum trahit. *Cassiodor. l. 3. Ep. 46. gravior est, spes citæ mortis experere, quàm tormentorum crudelia sustinere: inter supremas enim anhelantis angustias, votum est potius perire, quàm vivere.* Ludov. Viv. in *Augustini l. 19. de C. D. c. 6. Nos sic torquemus homines, ne insontes moriantur, ut magis eorum nos misereat, quam si morerentur: usque adeo graviora sunt sæpè tormenta,*

B 3

*quàm*

quam mors. Etiam si quoque exantlatis constanter torturæ doloribus innocentes deprehendantur, non potest illis æquivalens fieri retributio; quippe membra omnia, artus, musculi, nervi luxati, fracti, ut per totam reliquam vitam miserimè vivant, ad omne genus vitæ & opificium inepti, & vita ipsa ipsis potius sit supplicium, cum mors fuisset solatium. Synesius sane Ep. 58. *feliciores predicat, qui mortui fuerunt, quam qui tormentis male fuerunt liberati.* Ut E. recte iudex in suppliciis se non præcipitat, quia *pæna dilata exigi, exacta revocari non potest Senec. 2. de Ira c. 23.* Ita rectius tormenta intermittit, quia si quis innocens deprehensus sit, non patet ei ad poenitentiam regressus. Addimus illud Quintiliani Declam. 18. *Unicum filium pater ignibus verberibusque interrogas, rogo, quid futurus, si pernegaveris? Videlicet ut laudes, deinde dimittas, ut amplectaris perusta vitalia, & laceri pectoris vulnera pietati rursus admoveas. Solus superest pudor homini, qui torisit unicum, ut torquere debuisset. Faciat necesse est, res ista te pessimum Patrem, & oderis oportet filium, CUI SATISFACERE NON POSSIS.* Dicunt quidem Patroni torturæ, reos ita torquendos, *ut vel innocentie, vel supplicio salvi sint:* sed modi isti homines torquendi vix tale quid admittunt: præcipue si tortura aliquoties repetatur. Claudimus hoc argumentum verbis Senecæ. l. 2. de benef. c. 5. *acerbissima crudelitas est, qua trahit pœnam, & misericordia genus est, cito occidere,* quia tormentum ultimum finem sui secum trahit; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est. Immisericordiæ E. genus est, minutis idibus & longis torturæ cruciatibus homines dilacerare, sensum mortis præbere, non ipsam. Inter Caligulæ sævitiam refertur apud Suetonium, quod *non temerè in quenquam animadverti passus sit, nisi crebris & minutis idibus, perpetuo notoque præcepto: Ita feri, ut sentiat se mori.* Hieronymus torn. 1. in vita Pauli Eremite ab init. *Hostis callidus tarda ad mortem supplicia con-*

*quirens;*

*quirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. Et ut ipse, quia ab eo (Decio Imp.) passus est, Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi.* Lucanus quoque in consuetudinem illam iævam invêhitur. *moremque nefanda*

*Dirum sævitia, pereuntis parcere morti.*

Prudentius in Laurentio Martyre:

*Perire raptim non dabo, Et mors inextricabilis  
Vitam tenebo & differam, Longos dolores protrahet:  
Pœnis morarum iugibus,*

illi apud Petronium. *Siquid tristius paras, celerius confice. neque enim tam magnam facinoris admisimus, ut debeamus torti pertinere.* Senserè sc: hi cruciatus, quibus fontes exercentur, ipsa morte acerbiores esse, & speciem crudelitatis ostendere. Inter alia Crimina Verris objecta Citero Verr. 5. & hoc habet, quod liciti fuerint Parentes cum liçtore, *ut uno ictu securis afferret mortem filiiis suis.* Quid dabis, inquit liçtor, *ne diu crucietur? ne sapius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur.* Etiam ob hanc causam pecunia liçtori datur. *O magnum & intolerandum dolorem! O gravem acerbamque fortunam! non vitam liberorum, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur Parentes.* Atque ipsi etiam adolescentes tum Sestio de eadem plaga & de uno illo ictu loquebantur, idque postremo Parentes suos liberi orabant, *ut, levandi cruciatu sui gratiâ, liçtori pecunia daretur.* Ex quibus ulterius illud quoque deducimus, si species crudelitatis est, etiam meritos mortem, de quorum facinore jam constat, tam longis cruciatibus affligere; quid statuentum de torturis, ubi delictum nondum confessatum, sed per questionem demum inquirendum est. Neque abnuunt Baldus & Paris de Puteo apud Wesenbecium l. c. n. 5. *questionem corpus lacerare & ipsa ferè morte duriorcm esse, & post n. 12. circ. finem torturam sæpius repetitam non*

*minorem*



minorem penam esse re ipsa, quam cuiuslibet pena capitalis. Si Tertullianum evolvamus ad Martyres, deprehendemus, Christianos Martyres non tam mortem exhorruisse, quam tormenta. Sed *mortis metus, inquit, non tantus est, quantus tormentorum.* Senferunt sc: mortem tolerabiliorem esse ipsis tormentis, maluisseque mori, quam torqueri. Idem Cyprian, asserit Ep. 53. ad Fortunatum de iis, qui per tormenta superantur, sc. *in pralio congressos & vulneratos, per imbecillitatem carnis, confessionis sua coramam non potuisse perferre: maxime cum cupientibus mori non permetteretur occidi, sed tamdiu fessos tormenta laniarent, quamdiu non fidem, qua invicta est, vincerent, sed carnem, qua infirma est, fatigarent.* Simonides apud Ammian, Marcellin. l. 29. c. 9. *cum causam non ex veritate, sed quaesito- ris nutu pensari sensisset, ultrò fassus est crimen, morique maluit, quam torqueri:* ita & Maximus ibidem c. 10. rem audivisse & reticuisse confessus est, ideoque *capite truncatus, sensit docente periculo extremo, quaesito- ris iniquitatem omnibus esse criminibus gravio- rem.* Addamus Synesium Ep. 58. *Horrenda ad carnisicinam instrumentorum genera, quorum qui experimentum ac spectaculum morte prævenerunt, quique ante bello sublati sunt, ab iis, qui male liberati fuerunt, felices sunt predicati.*

§. 5. A DEFECTU LIBERTATIS. Veritas sive consideretur ut *actus Justitia*, qualis illa, quæ judicialiter deponitur, sive ut *actus veracitatis* extrajudicialiter, debet profluere ex certa scientia & libera voluntate; aliàs *actus virtutis* non erit. At ejusmodi veritas, quam dolor tormentorum extorquet, neque ex judicio intellectus, utpote dolore turbato, neque ex voluntate libera proficiscitur; nisi forsan gratia Dei extraordinaria accedat: sicuti Augustinus l. 13. de C. D. c. 7. constantiam Martyrum *ad abundantiam gratia divina, ad opitulationem divinam, non ad vim propriam refert.* Ut ergo Judex si non ex certa scientia juris, sed vel ex amore aut odio procedit,

procedit, etiamsi justam pronunciet sententiam, non tamen justè facit: ita & Veritas non pro veritate censenda, quæ dolore elicitur. Philotas apud Curium doloribus impar Craterum compellat: DIC, QUID ME VELIS DICERE? Ita torti tormentorum tandem finem petentes, dicunt, quæ Quæsitores dici volunt. Pertinet huc locus Ciceronis Orat. pro Syl- la; *tormenta gubernet dolor, moderatur natura cujusque tum animi, tum corporis, regit quaesito- r, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tantis rerum angustiis nihil Veritati loci relinquantur.* Rectè prudens Minus ait: *Etiam innocentes cogit mentiri dolor.* Repugnat etiam principiis philosophicis in doctrina de actionibus ex metu. Philosophus 3. Eth. 1. *actus ex metu mixtos facit, qui non ex toto sunt spontanei, multò minus liberi & electi: sed ex parte inviti.* Hinc & *actus ejusmodi ex metu gesti pro nullis habendi & rescindendi sunt.* Vix autem gravior est metus aut cruciatus, quam qui per tormenta & quaestiones corpori infertur. Nobilis locus est caul. 15. quaest. 6. c. 1. *Si quandoque à Sacerdotibus & auctoribus Ecclesia quadam scriptura quoque modo per metum aut fraudem, aut per vim extorta fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscripta, aut roborata sint ingenio, ad nullum ejus præjudicium, aut nocumentum valere censemus: neque ullam eos infamiam vel calumniam aut à suis sequestrationem bonis unquam, Deo Auctore, & sanctis Apostolis eorumque successoribus, sustinere permittimus.* Confessio verò in talibus non compulsæ, sed spontanea fieri debet. *Omnis enim confessio, qua fit ex necessitate, fides non est: Confessio verò in talibus non extorqueri debet, sed potius sponte profiteri. Pessimum enim est, de suspicionem aut extortâ confessionem quæquâ judicare, cum magis sis inspector cordis Dominus, quam operis. Non potest autem humano condemnari examine, quem Dominus suo reservavit iudicio, &c.*

Quamvis autem non omnis metus hinc intelligatur, sed talis, qui cadit in constantem vitum: tamen omnium Canonistarum consensu metus moris, & qui continet cruciatus corporis sunt tales, qui virum constantem de statu suo dimovere possunt. conf. *Gios. ibid.* Minutius Felix circa finem, cum pueros & mulierculas Christianorum cum Mutio, Aquilio. Regulo comparasset, tandē ait, folio m. 26. *Nec intelligitis, o miseri! esse, qui aut sine ratione velis poenā subire, aut tormenta sine Deo POSUIT sustinere.* Sensit, tormenta ita esse comparata, ut constantiam humanam superent & non nisi divinitus inspirato robore sustineantur. *Welemb. c. l. n. ii.* est ab eo inchoandum, qui timidissimus, Hunc enim facile Verum metu tormentorum dicturum. At quid si dicerem, timidissimum facile? falsum metu tormentorum dicturum? Ad minimum hanc veritatem non esse actum justitia.

Quis enim non moveretur ad atrocem istam tragediam, cum intenduntur eculei, expeduntur pondera plumbea, cum fidei- culis & verberibus, resultant omnia truculenta vocis horroribus, inter catenarum sonitus, tene, claude, comprime, abde, ministris officiorum tristium clamantibus, ut vel sola cogitatione animo representata hominem interficere possent, ut saliam *ibid.* qui sum de vinculis educitur audiendus, & calceo inserit pedem, quasi ruina incedentis immensi terroris repente percussus animam, inter retinentium manus, efflavit. Recte itaque Seneca, Ep. 14. *Plus agit tortor, quo plura instrumenta doloris exposuit.* SPECIE enim vincuntur, qui patientia resistissent. Nec minus Quintilian. declam. 18. *Omnium incertorum suspiciones pessime semper a corporibus incipiunt, nec bene de cuiusquam moribus illam partem hominis interroges, qua non animo sed dolore respondet.* & declam. 272, ubi tantum robur animi, ubi tam firmam solidam-

que mentem, qua non dolore vincantur, non ignibus cedat, non verberibus ingemiscat.

§. 6. A DEFECTU CERTITUDINIS. Per ejusmodi tormenta tam verum, quam falsum elici potest. Accidit enim ut quis victus doloribus criem fateretur, quod non commisit. Hieronym. tom. i. Ep. ad Innocent. memorat de muliere adulterii accusata cum juvene commissa a Marito. Juvenis tormentorum impatiens crimen, quod non patrarat, fassus est, ideoque occisus: mulier miraculo servata. Valerius Max. l. 8. c. 4. simile exemplum narrat de M. Agrii servo, Huc referimus Philotam apud Curtium VI. 21. de quo dubitatum, *verone an mendacio liberare se a cruciatu voluerit, quoniam & vera professis & falsis dicentibus idem doloris finis ostenditur.* & lib. 7. 2. 34. *Philotas ultimis cruciatibus victus, verane dixerit, qua facta probari non poterant, an falsis tormentorum perierit finem, re quoque recenti, cum magis possit liquere, dubitatum est.* Recte Auctor. 2. ad Herenn. cap. 1. putat, *dolori credi non debere, quod aliis alio reticentior sit in dolore, quod ingeniosior ad comminiscendum;* Quod denique saepe scire aut suspicari possit, quid quaesitor velit audire: quod cum dixerit, intelligit sibi finem futurum doloris. E contra evenit, ut quis crimen, de quo quaerebatur, non fateatur, ut apud eundem Val. Max. c. Fannii servus sexies tortus pernegavit. Ita Fulvii Flacci servus octies tortus nullum omnino verbum, quo Dominus perstringeretur, emisit. Est sc. hoc, quod & Tacitus habet, H. l. 3. 2. *contumax etiam adversus tormenta servorum fides.* ap. Ammian. Marcell. l. 29. c. 9. *Philiphil9 crudeliter tortus de statu robusta mentis non potuit deturbari, ut Eutropium Asia Proconsulare injusto mendacio perverteret.* Clarissimus pro utraque parte extat locus apud Tacit. A. XIV. 60. 3. *Acte de ancillis, sc. Octavia, quaestiones, & vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa annuerunt, plures persistere sanctissima-*

*sem Domina tueri.* En quædam ad placitum locuta vi tormen-  
torum, sed mentita sunt: à reliquis nullis tormentis extorque-  
re potuit, quod volebat iudex. Rectè iterum Cicero in Parti-  
tion. c. 9. quæstiones removet, quod & dolorem fugientes multi  
in tormentis ementiti perispe sunt, morique maluerunt fal-  
sum fatendo, quàm verè inficiando dolore: multi etiam suam  
viam neglexerunt, ut eos, quî his chariores, quàm ipsi sibi  
essent, liberarent. Alii autem aut natura corporis, aut con-  
suetudine dolendi, aut metu supplicii, aut mortis, vim tor-  
mentorum pertulerunt. Alii ementiti sunt in eos, quos ode-  
rant. Huc trahi potest quæstio, quæ de conjuratione in caput  
Hieronimi Syracusanorum Principis habita est. Theodorus  
comprehensus, quamvis de se haud cunctanter omnia fassus,  
ad indicandos consilii socios Andronodoro datur torquendus:  
tandem omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus la-  
ceratur: victum malis se simulans, avertit à conscisci in in-  
fontes indicium: Thrasonem esse autorem consilii, mentitur.  
Liv. l. 24. Valerius Max. l. 3. c. 3. explicat, *Quin* etiam satelli-  
tem, in quo totius dominationis summa, quasi quodam cardi-  
ne versabatur, falsa criminatione inquinando, fidum lateri ejus  
custodem eripuit: beneficioque patientiæ, non solum, quæ  
occulta fuerunt, textit, sed etiam tormenta sua ultus est. *Qui-*  
bus Hieronymus, dum inimicum cupidè lacerat, amicum te-  
metè perdidit. Eodem modo Zeno Eleates à Phalari tortus,  
ut consilii participes ederet, nec nominavit quempiam, sed  
proximum quemque ac fidissimum tyranno suspectum reddi-  
dit. *ibid.* conf. & Suidam, Laërt. Ciceronem 2. Tuscul.

Nec tantùm innocentium hæc laus, sed & conscii scele-  
ris & fontes adversus tormenta contumaces sunt. Confer in  
Tac. A. XV. 57. 2. exemplum Epicharis, *quam non verbera, non*  
*ignes, non iraco acrius torquentium, ne à femina spernerentur,*  
*per-*

*pervicere, quin objecta denegaret; torqueri & mori maluit, quàm*  
*Quasitori conscios prodere.* Jungere huic Græcum possemus  
*Sambicum*, qui annum perpetuum exquisitis cruciatibus est di-  
laceratus, inter quos & animam efflavit; nec tamen conscios  
judici nominavit. Vid. Erasmi Adag. Graviora Sambico. Ap-  
pliceinus huc, quibus foeminam illam tortam Seneca depingit.  
l. 2. controv. V. ut mariti secreta proderet. *Explicantur ty-*  
*rannica crudelitatis adversus infelicem foeminam apparatus, &*  
*alia instrumenta, virorum quoque animos ipsos visu frangentia,*  
*ad excutiendam muliebri pectori constantiam proponuntur: instat-*  
*tam denunciationibus, quàm tormentis tyrannus & minando tor-*  
*quet. Tacet. Videt intentum Tyranni vultum, videt oculos mi-*  
*naces, & tacet, &c. Caduntur flagellis artus, verberibus cor-*  
*pus abrumpitur. Tacet &c; Vicerat sevitiam patientia, de erat*  
*iam sanguis, superabat fides.* Illustratur quoque exemplo Cap-  
padocum, qui à pueris se mutuo torquere equuleo solent, ut ad  
falsa se testimonia venundare possint: quemadmodum scribit  
vetus Persii Interpretes in Sat. VI. item Zenonis Eleatæ, qui nul-  
lis potuit tormentis adigi, ut conscios delendæ tyrannidis indi-  
cicaret ap. Laërtium in vit. Seneca Epist. 78. cum multa contra  
dolorem differuisset, tandem hoc quoque argumentum pro-  
fert. *Plus est flamma sc. quàm dolor, & equuleus, & lamina, &*  
*vulneribus ipsis intumescantibus, quod ille renovaret & altius ur-*  
*geret impressum. Inter hæc tamen alius non gemit: parum est, non*  
*rogavit: parum est, non respondit: parum est risit, & quidem ex ani-*  
*mo.* Cum Sylvanus Majestatis in Constantium Cæsare committæ  
accusaretur, Proculus inter ipsius familiares, homo gracilis &  
morbosus, eculo cum admovebatur: metuentibus cunctis, ne vi  
magna tormentorum, levi corpore fatigato, reos criminū pro-  
milicue citari faceret multos: contra quam speratum est, conti-  
git. Is enim, inquit Ammian. Marcell. l. 15. c. 16. *quamvis ad*  
*consti-*

confinia ipsa mortis vexatus, nec nominavit, nec prodidit aliquem. Tertull. ad Martyr. cap. 4. & Apolog. circa finem meminit meretricis Atheniensis, qua conscia conjurationis, cum propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit conjuratos, & novissime linguam suam comestam in faciem tyranni expuit, ut nihil agere se scirent, tormenta etsi ultra perseverarent. Nomen meretrici fuit Leæna, de qua Plin. l. 7. cap. 23. Pausanias in Atticis. Plura exempla vide apud Valer. Max. l. 3. c. 3. de servo barbaro, qui Asdrubalem interemit; de Anaxarcho, ut & de homine aggressi, qui L. Pisonem adortus est. ap. Tacit. IV. A. c. 45.

Atque ex hoc fundamento respondemus instantiæ Michaëlis Montani l. 2. des Essajas c. 5. qui putat, conscientiam sceleris gravatam vix parem esse doloribus ferendis, innocentiam contra ultrò deponere tormenta. *ie pense, ais, que le fondement de ceste invension vient de la consideration de l'effort de la conscience.* &c. Resp. non negamus, magnam vim inesse conscientia: at presentior est metus mortis, si fateatur. Externa enim quæ sensibus viciniore sunt, fortius animum percellunt, quam quæ in mente hærent. Est autem mors terribilius terribilissimum 3. Eth. c. 6. & sapius conscientiam superat, ut homines id agant, quæ contra conscientiam sunt. Ratiocinatur enim cum isto nebulone, cujus mentionem facit Marfil. c. 1. repetit, 25. *melius esse milies torqueri, quam semel gulam frangi, illud damnatum per Chirurgum curari posse, hoc nunquam.* πάντων τῶν δεινῶν ὁ φόβος μάλιστα καταπλήττει τὰς ψυχὰς. Metus inter omnes res terribiles maximo impetu animos percellit. Xenoph. l. 3. Cyropæd. p. 67. Accedit dolor, qui non in animo, ut conscientia, sentitur, sed corpore. Anglis inquit Schmith. de Rep. Angl. l. 2. c. 27. innatum est, ut mortem spernant, cruciatum non ferant, idcirco potius quidvis à se gestum profitebuntur, etiam Patris sui internecionem, quam ut cruciatui huic obnoxii amplius esse velint. Re-  
fer-

ferre huc possemus Epistolam Hieronymi tom. 1. ad Innocentium de muliere septies icla. Accusata mulier à Marito adulterii cum juvene. Hic volens compendio mortis longos cruciatibus vitare in semetipsum mentitus est. Mulier perstitit negare. Ultra pars bonam habebat conscientiam. Sed altera impar doloribus, altera par fuit. Epistola prolixior est, quam ut describenda sit. Huc possemus adferre lapsos in primitiva Ecclesia, quibus ne optima conscientia constantiam inspirare potuit.

Ad Ecclesiasticam historiam si nos conferre vellemus, plurima ex Eusebio aliisque adduceremus exempla SS. Martyrum, qui nullis tormentis, quamvis crudelissime lacerati, compelli potuerunt ad id, quod iudices desiderabant. Ipse Plinius, Ethnicus Epist. 97. testatur, *nihil cogi posse, qui sunt revera Christiani.* Cyprianus Sermon. 5. de lapsis. Non præscripta exilia, non destinata tormenta, non rei familiaris damna & corporis supplicia terruere. Id. Ep. ad Martyres. *Tolerastis usque ad consumationem gloria durissimam Questionem, nec cessistis supplicii, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, corona dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem deticeret, sed ut homines Dei ad Dominum vel oculus mitteret, &c. Vidit admirans presentium multitudo caeleste certamen Dei, spiritale certamen, prælium Christi; steterunt seruos ejus voce libera, mens incorrupta, virtute divina, telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & laniantes ungulas, pulsata & laniata membra vicerunt. Impugnabilem fidem superare non potuit saviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei non jam membra, sed vulnera.* Id. de laude Martyrii. *Quanta sit gloria ponderate, hujus vite cupiditatibus atque ab omni animi natura mundi; commercio segregatum, contra adversantis disci-*

men opponere, nec seviriā torquentis horrere: animari hominem dolore, quo credatur extingui & id sibi in augmentum virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse, qui punit. Nam prae-  
 rantibus licet costis resiliens ungula recurrat in vulnus & cun-  
 sibus flagris cum avulsa corporis parte rediens habena ducatur; stas immobilis tamen pœnis suis fortior. Similia habet Theodo-  
 retus *Segamur*. l. 8. de Martyribus. Nazianzenus Orat. in Ju-  
 lian. cum Marci *Aretbusii* Martyrium describit. maximè Eu-  
 sebius in *Histor. Eccles.* passim. Taceo jam Martyres audaculos: Circumcelliones praefero, qui se temerè & spontè ad Martyria  
 & tormenta offerebant, & spernendo tormentorum dolores, docebant, tormenta non esse idoneum veritatis inquirendæ  
 medium. Montanistæ, apud Eusebium. l. 5. H. E. c. 15. jacti-  
 tabant, se non paucos habere martyres, &c. sic & aliarum heresi-  
 am propugnatores per multos venditant se habere martyres: non  
 tamen veritatem penes se tenere fatebimur. primi ex Marcionis  
 heresi Marcionistæ vocati sunt, per multis se Christi mar-  
 tyribus abundare praedicant, &c. Alii contra vitæ tormentis ore  
 negarunt non animo, Tertull. *Apolog.* Edit. Rhenan. p. 808.  
*Unde ista perversitas? ut etiam illud non recogitatis, sponte confes-  
 sio magis credendum esse, quam per vim neganti, vel ne compulsus  
 negare, non ex fide negaverit, & absolutus ibidem post Tribunal de  
 vestra rideat amulatione iterum Christianus.* Non sane putavit,  
 tormenta viam esse, qua iudex possit ad veritatem & certitu-  
 dinem penetrare. Pertinet huc Epistola Cyprini 53. ad  
*Fortunatum*, & alios collegas, de iis qui per tormenta superan-  
 tur. Puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos  
 constat stetit in acie, nomen confessos esse: violentiam ma-  
 gistratum & populi furentis incursum immobiles fidei obsti-  
 nationem vicisse, passos esse carcerem, diu inter minas Pro-  
 consulis & fremitum populi circumstantiis, tormentis laniari-  
 tibus

tibus ac longâ iteratione cruciantibus repugnasse, &c. in nô-  
 vissimo tamen infirmitate carnis subactos. Idem de *Lapsis*, *Lap-  
 sus* potest rogare & dicere. *Certeare quidem fortiter volui, &  
 sacramenti mei memor devotionis ac fidei arma suscepi: sed me in  
 congressione pugnantem cruciamenta varia & supplicia longa vi-  
 cerunt. Stetit mens stabilis & fides fortis; & cum torquentibus  
 penis diu anima immobilis luctata est: sed cum durissimi iudicis re-  
 crudescens sevitia jam fatigatum, jam lassum corpus, nunc fla-  
 gella scinderent, nunc concunderent fustes, nunc equuleus exten-  
 deret, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret: Caro me in  
 colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus sed  
 corpus in dolore defecit.* Quoties horum lapsorum recordor,  
 incidit illud Apostoli. I. Cor. 10. 13. *de tentatione non nisi huma-  
 na.* Nondum initium sumserant illæ persecutiones Christiano-  
 rum, nondum tortores experti erant, nondum *μηχρς αἰματ* &  
 Heb. 12. 4. usque ad sanguinem resistebant. At cum jam in Chri-  
 stianos expediebantur omnia tormentorum genera, cum ad  
 sanguinem usque resistendum erat, illud erat *ἐκ δὲ θεῶν*, non  
 humanum vel supra hominem, nec poterant humanis viribus ex-  
 sustinere Christiani, sed cogebantur ad nutum tortoris non ve-  
 ritatem, quam tamen querit tortor, dicere; sed mentiri. Qui  
 tormenta superarunt, illis assignat Augustinus, l. 13. de C. D. c. 7.  
 non vim propriam, sed optulationem divinam, & Cyprian. Ep.  
 9. ad Martyres, virtutem divinam; id est, gratiam extraordi-  
 nariam. Extant quoque Petri Alexandrini Episcopi Canones  
 ap. *Balsam*, in *Nom. in fin.* qui accuratè distinguunt inter lapsos  
 post tormenta, & spontè ruentes. Illos sic describit. *Delati  
 sunt, in custodiamque coniecti, tormenta non sufferenda & intole-  
 rabilia flagella, & multas alias graves necessitates sustinuerunt:  
 postea autem sunt à carnis imbecillitate protiti &c. multum de-  
 sertarunt & diu restiterunt.* &c. Illustrare hæc possemus ex-  
 em.

emplō Origenis, apud Eusebium l. 6, c. 2; & 3; ejus animam  
*non a cupiditate occupavit: Martyrii, ut prope se ultro offerret pe-*  
*riculis, &c. perfecisset etiam, nisi Mater omni ejus vestitu clam ab-*  
*lato, domi cum manere necessario coegisset.* At hic fervor po-  
 stea deferbuit, sensit tormenta, non pertulit. Euseb. l. 6 c. 32.  
 Qualia & quam acerba pro Christi verbo perpeffus est vincula,  
 quæ corporis tormenta, quæ supplicia, ex catena ferrea in in-  
 terioris carceris recessu collo impacta, & quomodo permul-  
 tis diebus pedes ad compedes ligneas intrusi, quatuor forami-  
 num interstitiis interpositis, distractione distenti fuerint: quæ  
 ignis & incendii minæ &c. At quid postea? Si vera sunt, quæ  
 Epiphanius hær. 64; habet, non permanserunt illi, quæ ad præ-  
 mium consequendum pertinent, in finem: &c. idolis tandem  
 sacrificavit, & à confessoribus ac Martyribus re cognita reje-  
 ctus est. Inde Alexandria non potens ferre exprobrantium  
 sannas discessit & Palastrinam inhabitare elegit. Quin ad sit ipse  
 Ulpianus, qui 7. libros de torquendis Christianis non ad historia:  
 fidem sed ad suppliciorum acerbiteratē scripsit, l. 1. §. quæstioni  
 23. ff. de quæstionibus. *Quæstio res est fragilis, inquit, & pericu-*  
*losa & quæ veritatem fallat, nam plerique patientia siue duritia*  
*tormento: non ita tormenta contemnunt, ut exprimi illis veritas*  
*nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis menti-*  
*ri, quam pati tormenta velint.* Cur autem ad tam durum mo-  
 dum homines interrogandi veniret iudex, si est fragilis & falli-  
 lax. Et quid aliud agunt hodierni Juri, qui tam operose, solici-  
 cite, curiose & trepidanter hanc materiam tractant, quam quod  
 Iudici hoc Quæstionis genus suspensum reddant, ut deinde in  
 conscientia foro sibi ipsi satisfacere nequeat, sed dubitare cogi-  
 tur. Eodem modo loquitur tit. 50. §. 23. lib. 60. βασιλικῶν. Προ-  
 πτερ αὐδαιαν vel formidem, τῶν βασανιζομένων ἢ πάντες δει-  
 κνύουσιν, ἢ ἀπίσθιν. τοῖς καὶ θύσσουσιν αὐτῶν, εὐφραίνονται, qui Quæstionē  
 subit-

subiiciuntur, non semper est confessionibus earum habenda aut non  
 habenda fides. Scholiastes Græcus addit. αὐθιγὴς ἡγί, ἰσχυρῶν  
 νόσ ἐστὶ καὶ τὴν ἀληθείαν ἐσθόσσι ἀπατῶν καὶ πλανῶν. *fragilis & pe-*  
*riculosa est quæstio & veritatem plerumque fallit.*

§. 7. AB OFFICIO JUDICIS. Iudicem non  
 debere ex suspitionibus iudicare extra controversiam esse  
 puto. Patet illud 1. ex Deut. 17. 4. *Si scelus aliquod renuncia-*  
*tum tibi fuerit atque audieris, inquireto diligenter: ac si vera*  
*& certa fuerit res illa, &c. 2. ex ratione, quia omne iudicium,*  
*si est actus iustitiæ, fluere debet ex recta ratione.* At suspicio  
 non est recta ratio. 3. ex exemplis. Sit unum de Pausania apud  
 Nepotem in Pausan. Spartani non putabant de Pausania, clara  
 viro suspitionibus oportere iudicari. Consentunt leges, quas ut  
 alienas omittimus. At quæso, quæ tormenta Iudicem certum  
 reddere possunt, reum dolore & equuleo coactum vera dixit-  
 se & non mentitum fuisse? *Mentiuntur plerumque torti,* Quinti-  
 l. declam. 379. Ad sit tamen magnus ille episcopus Hippo-  
 pensis Aurelius AUGUSTINUS l. 19. de Civ. Dei c. 6. cui  
 uni maligni credere, quam centum ejusmodi, qui de torquen-  
 dis Christianis scripserunt, Ethnicis. Notatus hic Augusti-  
 nus Paphlago, Ulpiano, Paulo, Modestino fuisse postero-  
 rem per integrum seculum cum dimidio: adeoque horum do-  
 ctinam de præsumtionibus violentis, semiplena probatione &c.  
 vel ex sola praxi ipsi non fuisse incognitam. Quid autem dicit?  
*Eti iudicant, qui conscientias eorum, de quibus iudicant, cernere*  
*nequeunt &c.* Quid cum in sua causa quisque torquetur: &  
*cum quæritur, utrum sit nocens, cruciatur, & innocens tuit pro*  
*incerto scelere certissimas pœnas: non qui illud commississe detegi-*  
*tur, sed quia non commississe nescitur.* Ac per hoc ignorantia iu-  
 dicis plerumque est calamitas innocentis. Et quod est intolerabi-  
 lius, magis que plangendum, rigandumque, si fieri posset, fontibus  
 D 3 lachry-

Lacrymarum; cum propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, sit per ignorantiam miseriam, ut & tortum innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat. Si enim secundum istorum sapientiam (veramne & non simulatam) delogerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta: quod non commisit commississe se dicit. Quo damnato & occiso, utrum nocentem an innocentem iudex occideret, adhuc nescit. quem ne innocentem nesciens occideret, torset: asper hoc innocentem, ut sciret, torset, & dum nesciret, occidit &c. Jungimus Ethnicum Quinti declamat. 18. Excedit omnem immanitatem, solum ideo torqueat, ut scias, an innocens torqueatur. Huc pertinent omnes disputationes Rhetorum pro tormentis & contra tormenta. Si enim causam juvant, tunc tormenta extollenda docent, *ἐν δὲ τῶν μὴ αὐτῶν μαρτυριῶν αὐτοῦ, quibus veritate ex testimonio sint.* Si non? evertenda quod ἀναγκάζονται, qui cogantur, tam falsa dicant quam vera, & *εὐδαιμόνως, ὡς μαυρόμενοι δούλον, mentientes facile, ut relinquasant citius.* Arist. lib. 1. Rhetoricorum c. 15. eadem habet Rhetor. ad Alexand. c. 17. ubi tandem concludit, τὰς μὲν ἀβαστάους ἐν τῶν τοιούτων πειθαίε καὶ ἀπιδίνας κατασκευάζει. *Quasiones (sive tormenta) ex his probabiles & improbabiles constituenas.* At quod probabile tantum est, illud non est certum, multo minus excludit formidinem oppositi. In hoc enim differt probabile a certo, quod hoc excludat formidinem oppositi. Similia habent latini Rhetores. Astor l. 2. ad Herenn. c. 1. cum pro tormentis etiam loquitur, illa confirmari vult *idem viis, quibus omnis conjectura tradatur, se ut trabatur ad perisimilem suspicionem.* Cicero in E. confessio in tormentis edita edita ultra conjecturam & verisimilis suspicionis modum non ascendit: quae sufficientem causam non preberet iudicantis cruciatibus ipsa morte acerbioribus hominem subterendi.

endi. In partitionibus c. 9. non esse obscuram, in utraque parte esse exempla & ad Conjecturam faciendam locor. lib. 2. Rhet. c. 2. Nunc exponemus in conjecturalem constitutionem, qui loci communes incidere solent, &c. questionibus credi oportere & non oportere. Quintilianus. 5. Instit. c. 4. plenes esse ait de hac re orationes Verarum ac novorum, & infinitatem circumstantiarum varietatem. Hac referri posset, quod Quastio ad statum Orationis conjecturalem referatur. At hoc argumentum apud Artistas peritos forsari non magnopere pugnaret.

Dices. Quastioni non aliter fides habenda est, quam si finita quastione, post aliquod temporis intervallum, repetita confessio apud acta fuerit. Resp. habet & hoc Plautus in Truculent. Act. IV. scen. 3. Rogavi ego vos verberantes & pendentes simul: *Commemini, quo quicquid pacto suis confesse: scio.* Hic nunc volo scire eodem pacto, si sine malo futeamini. i. e. sine verberibus & dolore. At difficultatem non tollis. Sciunt enim, nisi ad placitum loquantur Quastitoris, se revocatum iri ad tormenta, ubi spontanea non censerit potest ejusmodi confessio, quae ex metu periculi fit. Nec refert quicquam aliquis compulsus fecerit, vel metuens, ne compelleretur. Idemque de timore mali, dum praesens adest, quod de malo ipso judicari solet. Id quod non obscure ap. Plautum significas in Perla Virgo, cum ait act. M. sc. 1.

*Cogita hoc Verbum, Pater, Herus si minatus est*

*Malum servo, ametsi id futurum non est, ubi captum est flagrum*

*Dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria, ego nunc, quod*

*Non futurum est, formido tamen.*

Qua ratione etiam timor armorum idem operatur, quod vis ipsa armis illata. Cicero explicat, pro A. Coccin. Tu vim negabis esse factam, si cades & occisi facta non erit? Ego exercitibus maximas saepe pulsas & fugatos esse dico terrore ipso, impetique hostium sine cujusquam non modo morte, verum etiam vulnere.

Etenim non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamque per-  
venit, sed etiam multo major ea, quæ periculo mortis injecto, for-  
midine animum perterritum loco sapè & certo de statu dimovet.  
& post, dubium non est, quin major adhibet a vis ei sit, cujus ani-  
mus sit perterritus, quam illis cujus corpus vulneratum sit. Exem-  
plo esse potest ipse Philotas apud Curtium l. c. quem, licet in e-  
culeo confectum, non ante damnari Alexander sustinuit, quam  
denuo ex intervallo rogatum, quæque fassus in tormentis fue-  
rat agnoscentem. Agnovit quidem Philotas sed metu, ne rur-  
sus ex cruciaretur. l. 6. c. 2. n. 36. Accedit & illud, quod ple-  
rùmque iudex vel Quæstor interminetur, quæstionem sed  
denuo de eo, ni fateatur, habiturum. Quo in casu omnino  
probabiliter existimandum est, rectè timuisse, cui per iudicis  
poenale præceptum interminatum est, præcipuè cum mina-  
cem adhibuit vultum Quæstor, ut apud Senec. l. 3. controvers.  
14. instat. tam denunciationibus quam tormentis tyrannus & mi-  
nando torquet, tacet: videt intentum tyranni vultum videt o-  
culos minaces. Quis enim non metu extortam confessionem  
interpretabitur, si ab aspero favoque quæstore, qui quod pol-  
licebatur, præstare minasque statim exequi poterat, intermi-  
natum compererit; maximè si is, qui tortus est, sit vel foemina  
vel effœminatus & meticulosus, qui omnia etiam elusoria ex-  
horrescunt. Talem autem confessionem etiam apud acta de-  
inde factam spontaneam esse & sufficientem inducere proba-  
tionem, nemo mihi persuadebit. Scit enim, nisi ad placitum  
respondeat quæstoris, se iterum raptum iri ad euleum. Ita &  
Callicles apud Plautum l. c. edico prius.

*Nec duplices habeatis linguas,*

*Nisi ad tintinnaculos vultis vos educi viros.*

Quis has ancillas non perterrefactas diceret his feralibus minis,  
quæ jam tormenta expertæ erant. Extra dubium esse puto, si  
quæ

qui in conspectum tormentorum deducantur, nimos non mu-  
lierum tantum sed & virorum lugubri isto apparatu frangi. Sic  
Xychus ille apud Livium l. 40. qui conspectum tormentorum ver-  
berumque non sustinuit: ordinemque omnem facinoris legatorum  
ministerique suis exposuit. Et Natalis apud Tacit. A. XV. 56. 7.  
qui tormentorum conspectum & minas non tulit, quem pari im-  
becillitate secutus est. Scævinius ib. n. 3. Ita apud Livium l. 26. Nu-  
midarum transfuga aliquis cum literis ad Hannibalem captus cum  
tormenta posci & parari videret, fassus est. Et l. 27. equites 4.  
Gallos & duos Numidas ab Altrubaie ad Hannibalem missos cum  
litteris, motus tormentorum ad motus fateri vcr a coegit.

§. 8. AB HORRORE NATURÆ. Nam vivunt  
tam multæ gentes & barbaræ, quæ ferum & inhumanum arbi-  
trantur torqueri hominem, de cujus facinore dubitatur. & post.  
profecto carnifices animos habemus, qui sustinere possumus gemit-  
tus & lacrymas tanto cum dolore expressas, hominis, quem ne-  
scimus sitne nocens. Lud. Viv. ad l. 19. August. c. 6. Si mori  
oporteat, quod genus feritatis est ipsum prius excarnificare & o.  
Populus tam horrendam feritatem videre non assuefactus ex hac  
misericordia dolorem bauriret: Principem quoque & iudices abomi-  
naretur, qui tale genus crudelitatis inveberent. Schmith. de  
Repub. Angl. l. 2. c. 24. Etiam fontibus & reis suo modo debe-  
tur commiseratio; nedum illis, quos fontes esse nondum ex-  
ploratum habemus. Bias damnaturus aliquem ad mortem,  
lacrymatus est, in quibus non ovum & naturæ affectum, legi suffra-  
gium reddidit Stob. 44. Siden. Apoll. l. 1. Ep. 7. laudat Imperat.  
quibus amare palam liceat & capite damnatos. Lactant. l. 6. Inst.  
maximum scelus putat odisse hominem vel nocentem. Tacit. A.  
VI. 19. inter alias Tiberii crudelitates & hæc recenset: quod ami-  
cis damnatis & occisis adsthere, ad lacrymare; ne visere quidem  
daturum. & post. Interciderat sortis humana commercium vi metus:  
quan-



quantumque servus glisceret, miseratim arcebatur. Si autem miseratio etiam damnatis debetur; multo magis illis, de quorum scelere adhuc dabitur.

§. 9. A VETERUM INIQUITATE. Nam & servi in causa Dominorum rapiabantur ad tormenta, qui tamen nihil commiserant. Quamvis Cicero pro Dejotaro significet hoc interdum de more majorum fuisse vetitum: attamen apud Tacitum. A. ll. 30, 4, & 5. in causa Libonis servos per tormenta interrogari placuit. Et quia veteri Scto questio in Caput Domini prohibebatur, callidus & novi juris rector Tiberius mancipari singulos auctori publico jubet: sc. ut in Libonem ex servis salvo Scto quaereretur. Arcadius sancivit, si ea rei conditio sit, Arenarium testem vel similes personas admittere cogimur, sine tormentis, testimonio eorum credendum non esse. sicut nec servis olim sine quaestione credebatur.

Dices. Personis vilissimis ut arenariis, servis, &c. sine tormentis non creditur, quod contumaciter & obstinata sua malitia reticere veritatem intelligantur. Resp. 1. in tenui fortunâ major saepe hominum integritas, ut qui nullam jacuram bonorum exhorrescunt, quam in aliis, quos varia pericula fortunarum, honoris, famæ &c. turbare possunt. 2. Ad minimum sunt homines, qui secundum contraria opinionis assertores, æquè naturâ nati sunt liberi & æquales. Etiam in mancipio cogitandum, inquit Seneca. l. 1. de Clementia. c. 18. non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura. Sicut autem per servitutem aut vilitatem non desinit esse homo ad imaginem Dei creatus: ita etiam longè præstantior est, quam ut propter civilia delicta torquendus sit. Id. Ep. 31. in fin. Animum rectum, bonum, magnum, quid aliud vocas, quam Deum in humano corpore hospitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quam in libertinum, quam in servum potest

potest cadere. Quid est Eques Romanus, aut libertinus, aut servus? Nomina ex ambitione aut injuriâ nata. Fluit hæc opinio ex veterum duris de servorum conditione placitis, servum eorum esse Domini, nec juris aut injuriæ capax, habendum pro martino & nullo, Dominum habere jus vita & moeris, &c. quæ Christiana Religio dudum mitigavit. Juvenalis sat. VI. dum loquitur de Dominis præcipitanter nimis servos ad crucem rapientibus. Nulla unquam de morte hominis (etiam vilissimi) cunctatio longa est, exclamat: ita & nos, quando ob pecuniariam causam vehin casu testimonii deponendi ita abripiuntur. Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, exitis dem seminibus ortum, eodem frui caelo, æquè spirare, æquè vivere, æquè mori. Tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te servum. Senec. Ep. 47. Auget rem, quod in causis olim pecuniariis tantum, servi tamen ad torturam rapti fuerint. Nam Divus Pius rescripsit, posse de servis haberi quaestionem in pecuniaria causa, si aliter veritas inveniri non possit. Et Diocletianus, interrogari servos de facto suo, non solum in criminali causa, sed etiam in pecuniaria posse non ambigunt. At nulla est proportio inter tam acerbissimos cruciatus corporis, & pecuniam. Etiam si concederemus in delictis atrocibus, quæ poenam capitalem post se trahant, non plane absurdam esse quaestionem: in causis tamen pecuniariis, & ubi tantum pecuniæ periculum est, nullam proportionem inveniri possumus. Absurdum enim est, ejusmodi probationes criminis petere, quæ ipsa poenâ crimini debitâ sunt acerbiores. Si in causis liberalibus, cum de statu quaeritur, cessant tormenta, cur non etiam in pecuniariis. Longè autem illa gravior est, ideoque etiam iudicibus pedaneis adempta. Atque ex his fundamentis miramur, cur Pontifex Alexander III. c. 1. X. Depositi Clericum depositarium propter rei deposita furtum torturæ subjaciat, cum aliâs furtum tantum sit

ut delictum privatum; nec capitis poenam de jure antiquo post se traxerit.

§. 10. EX COMPARATIONE CUM CENSURA ECCLESIASTICA, quæ sine torturâ peccata corripit. Habet illa suas poenas, interdium & excommunicationem sive majorem sive minorem; atque sic sine violentis modis perdit ad suum finem, quæ indagare nequit, Domino commendat usque ad messem & plenam eradicationem zizaniorum. August. l. 3. contr. Epist. Parmeniani c. 2. *Misericorditer corripiat homo, quod potest. Quod autem non potest, patienter ferat, & cum dilectione gemat ac lugeat, donec aut Deus desuper emendet & corrigat, aut usque ad messem differat eradicare zizania & plenam ventilationem.* Cur igitur Respub. non posset tendere ad finem sine tormentis.

§. 11. A MULTIS DIFFICULTATIBUS, quibus se contraria sententia Patroni intricant. 1. An tortura sit meri vel mixti imperii? quod sit crimen grave aut leve? An incestus jure civili fustigationis tantum poena coercendus? An criminibus extraordinariis, quæ desinitâ poenam non habent, sed quam iudex extra ordinem pro arbitrio imponit, tortura locum habeat? An furtum, an fœnus improbum torturam admittat? An ex maleficio civiliter agatur in causa pecuniaria, si sit magna pecunie summa, si annexum habeat delictum, ut Mercatores fallit? An fœdi Dominus, si Vassallus grave crimen commisit, ob quod fœdum amittitur, postulare queat, ut Vassallus tormentis subiciatur? An accusatori probationibus se destitutum afferenti iuramentum deferendum? At si iudex sine indicibus aliquem ad torturam rapiat, ille etiam crimen feteatur, ac post torturam deum superveniant indicia legitima, Reus ex confessione sua damnari possit? Quomodo differat indicium, conjectura, presumptio, suspicio? An unus testimonium de crimine admissio prebeat indicium ad tor-

turam? An confessio propria, fama, fuga, trepidatio, loci accessio, inimicitia capitalis, vultus mutatio, silentium, assertio de sociis, de mandatore delicti, de pacifcente; sic frequentatio loci, vicinus mala conditionis, postulatio rei ultronea, ut in se inquisitio fiat, denunciatio ejus, qui se vidisse flagitium ait, conversatio cum malis, receptatio, associatio, secreta allocutio, Physiognomia &c. sine indicia sufficientia ad torturam? Præterea nunc indicia specialia furti, rapina, adulterii, veneficii, infanticidii, &c. quæ & dubia & intricata, & infinita ferè, vix omnia comprehendere possunt. An per unum se testem fide dignum probetur indicium? plures testes singulares quando faciant indicium? an admittendi ad testimonium minores, mulieres, infames, inimici, inhabiles? an detur appellatio in his rebus? Quæ sint illa persona, quæ tormentis interrogari non possunt? Quantum adhuc Chaos restat de generibus torturæ, de modo torquendi, sic an tortura repeti possit? quando rei confessio tormentis expressa sit rata? quid agendum, si revocetur? quid cum iudice faciendum, si reum illegitimè torserit? &c. Vix sane iudex è tantis tricis se extricabit, aut in suæ conscientie scrutinio securus erit, se modum non excessisse. Est sane res ardua & gravissima, ubi de capite hominis agitur: non hic ludendum aut dubitanter aut repidanter agendum: sed omnes consultationes certo fundamento niti debent; quales vix ullum sperari potest in tanta dissensione Dd. & opinionum.

§. 12. A PAUCITATE PERSONARUM, quæ torturæ subijci possunt. Excusantur enim à tormentis impuberes, furiosi, mutus & surdus, senex, gravi affectus valetudine, foemina prægnans, puerpera, omnes; quibus nomen Clarissimi competit, ut personæ illustres, Nobiles, Senatores, Equites, Doctores; sic & clerici, milites, Ducuriones, &c. Manet ergo tortura Plebeiorum propria. Si autem Respub. potest consistere sine tortura eorum, qui potentia, autoritate, scientia ar-

nat plus nocuementi dare & magis delicta sua celare possunt, cur ergo viles tantum animæ & plebejæ tortura subiciunt, quibus scelera nec tanta, nec in tanto secreto metuenda?

§. 13. Claudimus nostras rationes testimonio B. Lutheri, qui tom. 7. Jenensi, fol. 359. & seqq. quamvis non ex toto damnet, neganti tamen proprior videtur in scripto contra Episcopum Magdeburgensem. Weil die Warter im Kerker eine gefährliche Rechtfertigung ist / und ohne Noth nicht zugebraucht ist / dann offte Unrecht da begangen wird : Und der Cardinal eine feine Brücke / ja eine öffentliche freye Strafe für sich hatte zum Recht / so hätte er sollen Gottes Gebot nach dieselbe freye Strafe gehen / und Gott nicht versuchen mit der gefährlichen Rechtfertigung / damit alle Menschen / es seyn Richter oder Part / seyn schuldig / daß sie Gott nicht versuchen. Darum ob der Cardinal für der Welt solche Rechtfertigung schmücket / so ist er doch damit vor Gott verdammt / als der sie mit Gottes Versuchung gewonnen. &c. & post p. 360. Wie offte ist es auch mehr geschehen / daß etwan Leuthe seyn hingericht auff ihr Bekentnis / da man hernach über etliche Jahr erst bekommen hat die recht schuldigen : Und ist jenem gleichwohl Unrecht geschehen. Das rede ich darumb / wie oben gesagt / wo man das lichte tägliche Recht haben kan / soll man solch finster Nothrecht meiden / oder heißt Gott versucht / das ist verboten bey Gottes Zorn und Ungnaden / &c. Adjungimus Ludovicum Vivem in Augustinum l. 19. de C. D. c. 6. Zepperum de LL. Mosaicis. l. 5 c. 10. Grevium, quem tamen videre non contigit in *Tribunali reformato*, qui expressè nostram defendunt sententiam.

CONTRARIAM SENTENTIAM si expendamus, multa occurrunt notatu digna. Sequamur vestigia Wesenbecii Paratit. l. 48. ff. tit. 18. Ita ille numero 1. Quia verò crimina plerumque clam arbitris & occultè committuntur, ut sepe copia testium haberi non possit, ideo more majorum introdu-

curum

atum esse, inquit Cicero part. Orat. ut per tormenta veritas exquiratur &c. Ex quo dilicursu aliquot formari possent objectiones.

Ob. 1. Praxin introductam aliud velle, Resp. Quid Praxia memoras? Sic etiam Parrhasius, pictor Atheniensis excusatur, qui cum Philippus captivos Olynthios venderet, emit unum ex his seorsum, perduxit Athenas, torfit usque ad mortem & ad exemplar deficientis pinxit Promethea, deinde tabulam in templo Kimerwæ posuit. Ita enim excusatur apud Senec. l. 10. controverf. 5. multum semper licuisse artibus. Medicos usque vim ignarum morbi cognoscentes, viscera rescidisse & hodie cadaverum artus. Sed sit Praxis. Quoties theoria recedit à Praxi? quoties etiam apud illos ipsos Labeo aliquis fiducia ingenii quadam innovat à communi consensu Doctorum recedentia? Philosophia liberè restraictat, nec curat quis dixerit, sed quàm verè dicatur: Amicum judicat Socratem, Platonem, Ulpianum, Paulum, Modestinum &c. sed magis veritatem.

Dices. At etiam Honorius & Arcadius, Valens, Valentianus, Justinianus, & Impp. Christiani hæc retinuerunt. Respondeo. Lud. Vives ad L. 19. C. D. c. 6. Miror, Christianos homines & amultra Gentilia, & canon modo charitati & mansuetudine Christianæ contraria, sed omni etiam humanitate, modicus sanguine religiosissima retinere.

At, inquit Wesenbecius, pleraque crimina clam arbitris, & occultè committuntur, ut semper copia testium haberi nequeat: & multa scelera manerent impunita. Resp. Quod mandatum divinum, quæ necessitas Reip. exigat, ut omnia scelera occulta à iudice temporali eruantur & puniantur? Excusatur iudex, si debitam adhibuit diligentiam: quæ vestigare nequit, supremo iudici relinquit: ut ad dira ista tormenta decurrat opus non est. Imò quis dicere, Deum certò respectu non velle,

ut omnia occulta à iudice temporali eruantur & puniantur, quia statuit Dies, in quo iudicaturus est Orbem terrarum. Aq. 17. 13. Hic, hic erit illud tribunal, coram quo occulta producentur & examinabuntur. *Nihil erit operum, quod non revelatur* Matth. 10. 26. Conf. Marc. 4. 22. Luc. 8. 17. c. 12. 2. Hinc dicitur *Dies ἀποκαλύψεως, Revelationis*, quia tunc revelabit Deus occulta cordium. 1. Cor. 4. 5. ac libri aperientur, in quibus omnia cogitata, dicta, facta etiam occultissima scripta sunt. Apoc. 20. 12. Hic est ille Dies, quā iudicabit Deus occulta hominum. Rom. 2. 16. *cum Dominus venerit, iste illuminabit abscondita tenebrarum.* 1. Cor. 4. 4. Cur iudex secularis occuparet alienum negotium, & tam diris modis inquireret occulta, quæ Deus sibi reservavit? Eleganter Chrysostom. hom. 46. ad Popul. Antioch. *Nec ab omnibus, inquit, hic exigit Deus, ne resurrectionem desperes, & iudicium desinas expectare, quasi omnes hic reddant rationem. Nec rursus omnes abire permittit impunitos, ne rursus omnia providentia careere putes. Verum & punit & non punit. Et in quantum punit ostendit, quod hic punitos, & illic rationem exposcet. In quantum autem non punit, facit, ut credas, quod est aliquando post presentem peregrinationem tremendum tribunal. Ut ergo Magistratus in consultando consilia, quibus impar est fato, i. e. Deo permittit. Tacit. A. VI. 46. 4. ita & in vindicando, postquam debitam adhibuit diligentiam, iniquos Deo in diem iudicii reservat cruciandos. 2. Pet. 2. 9. Non absurde Alexander Papa q. 6. 15. c. 1. *Si omnia in hoc seculo vindicata essent, locum divina iudicia non haberent.* Insuper ex criminibus elam arbitris commissis citius, iudex remota tantum iudicia ad torturam non sufficientia & suspiciones hauriet, quam semiplenas probationes.*

Dices. cum Patris de Puseo traq. de syndicis, & torturam v. de repetition. n. 6. *Sine timore tortura non posset mundus ipse*

pace

*pace stare. & cum aliis, aperiretur occasio delinquendi, quia vix per aliam inquisitionem delicta protrahi in lucem & veritas cognosci possent.* Resp. 1. per instantiam. Respubl. Davidica & Salomona in pace stetit sine tortura: sic & alia Regna, quorū supra mentionem fecimus. 2. Melius est, ut dimittantur certum nocentes quam condemnentur unus innocens; interim rarissime contingit, ut iudex nulla inquisitione penetrare queat. 3. Dantur adhuc alii inquirendi modi. Laudat Augustinus Ep. 159. & seqq. Marcellum Tribunum, *quod horrenda facinora Denasitarum eruerit, non extendente equuleo, non silcantibus unguis, non urentibus flammis, sed verberibus virgarum.* Contrariae sententiae Patroni negant alias de se confessum, ne aliena salus in dubium vocetur, in caput aliorum quærendum. At si hac ratio a podiice concluderet; cur non liceret etiam ex sponte confessis alios quoque fontes eruere, & fontes exterminare?

Provocat Wefenbecius ex Cicerone ad Atheniensem & Rhodiorum Rempubl. At has bene constitutas fuisse Respublicas unde probabit? Exempla imitanda non ex deterrima Democrazia, ad quam Atheniensem prolapsam fuisse Philosophus 2. pol. 10. non diffidetur, desumenda sunt, sed ex bene formati Rebus publicis; qualis fuit Davidica & Salomona.

Ferit Wefenbecius n. 3. *Causa efficiens quæstionem est mos antiquissimus omnium ferè bene institutorum Populorum communis, ut non immerito pro jure gentium habeatur.* Parcius ista viris. Apud Ethnicos semper occurrunt Ethnicæ tenebræ, Non omnis mos antiquissimus statim probatus est, & jus gentium facit; quin longa consuetudo sine veritate vetustas erroris est. c. consuetudo. dist. 8.

Dices cum eodem n. 6. & 7. non statim hominem ad equuleum rapiendum sed 1. tum, cum veritas aliter haberi non potest. 2. cum res multis iudiciis oneratus & pene convictus est, ita ut indicia

illa

*illa faciant semiplenam probationem.* Resp. 1. Si veritas aliter haberi non potest, satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quam nondum convictum ipsam ordinariam poenam acerbius cruciatibus subicere, aut pro *incerto scelere*, ut loquitur Augustinus l. c. *certissimas penas exigere.* Quæ enim necessitas juris divini aut naturalis cogit judicem, ut tam diris & duris mediis verum inquirat. Satis functus est suo officio iudex, si omnibus aliis mediis tentatis verum elicere non potuit, reliqua divino iudicio commendet. Melius enim, est ut dimittantur centum nocentes, quam damnetur unus innocens. Quin quod rarissime contingat, talis aliquis actus atrocissimus, quem nulla inquisitione penetrare queat iudex. Quis autem culpabit, si in eiusmodi rariis contingentibus rem Deo committat. At Pontificia Glossa per canonem illum, 59. *Questionem q. 12. s. 1.* qui & habetur l. 1. c. de *Questionibus*, intelligit questionem in crimine Majestatis, adulterii, fraudati census & homicidii *nullis precedentibus indicis.* Format sibi objectionem. *Dicunt quidam, quod nec in exceptis criminibus servus contra Dominum admittitur, nisi aliqua presumptio precedat.* Respondet deinde. *Sed li-tera hoc non patitur.* Dico ergo hoc speciale, ut initium sumatur à tormentis, 2. Insuper intricata adhuc res est inter indicia remota & propinqua, dubitata, indubitata; juris & facti, levia, gravia, gravissima. Quis hic nobis suggeret filum Ariadnæum, quo nos ex hoc labyrintho extricemus. Quid si indicia concurrant inter se pugnantia? E. g. si testes dicant. Vidimus Sempronium noctu occidi; & tamen fuerit nox illius.

3. Distinguendum etiam est inter indicia, quæ corporis cruciatum non important, aut causam criminalem; sed tantum ad alia Civilia respiciunt. In his facilius iudicem indicia sequi & tutius posse concedimus, quia fieri potest restitutio, quando indicia fallunt. Ita Salomon 1. Reg. v. 26 ex *σφραγῆ* naturali indicium sumit, quæ sit vera mater infantis, An verò tale sufficiens fuisset

fuisset ad hominem torquendum, adhuc dubitari potest. Ita indicium est apud illos etiam, Ordinat. Crimin. Art. 29. si homo cum gladio cruento prodeat e loco, aut conspiciatur in loco, ubi homo trucidatus est. At & hoc fallere potest. Autor. l. 1. ad Heren. c. 5. n. 30. ponit casum. *Ajax in sylva, postquam rescivit, qua fecisset per insaniam, gladio incubuit. Ulysses intervenit: occisum conspiciatur: e corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit, cum fratrem occisum, & inimicum fratris cum gladio cruento videt, capitis accorsit.* Incidit h. l. illud indicium, cum cadaver hominis interfecti in presentia ejus, qui de homicidio illo suspectus est, sanguinem effundit. Multum à multis huic indicio deferri scio. At quomodo illud, quod supra naturam est, & cujus causa nobis occulta, nobis naturaliter probabit; imò quod pugnat cum natura, sc. *cadaver ex angue habere sanguinem, & corpus frigidum egerere sanguinem.* Judicis est arbitrari, si ne indicium sufficiens; at quomodo ratiocinabitur, si tota res intellectum iudicis superat. Tortura sanè res est præjudicii gravissimi, ad quam iudex procedere non debet, nisi ex causis humano intellectui convenientibus. 4. At nos Philosophicè progrediemur in hac re. Quintilianus l. 5. Instit. c. 9. distinguit Signa (Iuris *indicialia*) in *πυμνεια* sive necessaria, & *συνεια* sive non necessaria, e. g. ille, sine cicatrice est. E. ferro non est vulneratus; hic, vestem cruentam habet, E. homicidium fecit. At hoc nil operatur; potuit enim sanguis vel ex naribus profluxisse. Aristoteles Rhet. ad Alexandr. c. 13. distinguit inter *Signa* quæ *opinionem* faciunt, & quæ *scientiam*. Areopagitæ olim damnabant puerum coturnicum oculos eruentem propter signum perniciosissimæ mentis, multisque malo futuræ, si adolevisset. Spurio Melio & M. Manlio popularitas signum affectati regni fuit. Ergone sufficiens? *Nullares est*, inquit Cicero. c. 1. l. 2. ad Herennium de signis, *quam non suspicionibus qui vis possit criminari.* Idem Cicero in Partit. Orat. c. 16. inter signa *proprie attingentia eos ipsos, qui arguuntur*, refert *telum, vestigium, cruorum, de prebentum aliquid, quod ablatum creptumque; responsum inconstans, hastatam, titubatam, &c.* At Quintilianus casus ejusmodi ponit in suis Declama-

clamatioribus, quibus etiam pars innocens onerari potuisset. Illud exemplum facile concesserim, quod Cicero l. 2. de inventione habet. *Si peperit. E. cum viro concubuit*. At tales indubitatae notae, occurrunt rarissime.

Dices cum Quintiliano l. 5. c. 12. *Hæc imbecillia naturam mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere, quia magna non sunt, valent, quia multa sunt &c. Singula levia sunt: universa verò nocent, etiam si non ut fulmine, tamen ut grandine.* Resp. At & hæc refelluntur contrariis artibus. *Dicemus hoc modo, inquit Cicero ad Herenn. l. 2. nullam rem esse, quam non suspicionibus quivis possit criminari: deinde unamquamque suspicionem extenuabimus, &c.* Nolimus huc trahere colores in Senecæ controversiis passim.

Videmus illic plures colores, non tamen perfectam probationem facere. Eodem modo plures verisimiles conjecturae non tamen perfectam aut indubitatem faciunt indicium. neque enim si plura imperfecta, ut oculum, manum, pedes conjungas, statim hominem facies. Dices. Sufficiunt ad questionem, non ad condemnationem. Resp. At Quæstio morge durior est, ut supra ostensum. Imò quod in se semiplenum, id neque aliis conjunctum fiet plenum, neque enim si plures claudicantes conjungas, statim incessum rectum & plenum efficies. In causis civilibus aliquid concesserim: at in criminalibus, ubi de vita hominis disceptatur, res certa esse debet.

5. Magna adhuc & intricata quæstio est: *Quasi sint illa indicia, quæ faciunt semiplenam probationem?* Duo testes faciunt plenam probationem, non tamen sequitur, E. UNUS TESTIS facit semiplenam probationem. Non. Nam & duo faciunt numerum, non tamen statim unitas facit seminumerum. *Unius autem testis non sufficit assertio, etiam si præjudiciali resulgeat dignitate,* ait Pontifex Innocent. III. c. licet. X. de Testibus. Quod Ordinatio Criminalis Carol. V. art. 30. habet, scimus, sed nos Philosophicè. i.e. theoreticè, non practicè disputamus. Sic etiam CONFESSIO PROPRIA EXTRA JUDICIALIS. Nam & hic est testis unus, qui nunquam seriò in caput suum periculum inducet, & quod præ-

vatina

vatim dixit, facile contraria confessione perimere potest & revocare Non FAMA. Nam hæc tam fidi pravi que tenax, quam nuncia veri; hæc veris addere falsa gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit. Quis enim ab istis in secreto stridentibus viperis immunis est, quæ venenatis suis censuris & susurris sæpe optimos viros subvertunt? *Fama malum? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri assert, sine mendacii vitio est, detrahens, abiciens, demutans de veritate?* Tertull. Apol. c. 6. Est & hoc contra Sac. literas Exod. 23. 1. *non sequeris vocem mendacii, i.e. sinistram de aliquo famam.* Levium. E. hominum, non sapientum est vanum aucupari rumorem. Non FUGA. quia etiam innocens & minime reus fugere potest, ne de facto apprehendatur, & in carcerem indignè conjiciatur. Sic nec discipulo aut servo vitio vertitur, si ad tempus se subtrahat, ut iracundiam Domini aut Magistri evitet. Alcibiades citatus ab Atheniensibus ad causam capitis dicendam noluit venire, & Aristoteles quoque noluit committere, ut Athenienses bis peccent in Philosophiam. Reliqua indicia, ut *inimicitia capitales*, sunt remota indicia; sic & *minas* cum raro homines minas, quas in calore præcipitant, exequantur: *inconstantia* & *variatio sermonis* vel etiam *trepidatio rei*, quæ non tam ex mala conscientia, quam ex metu impendentis torturæ oriri potest: sicut illa ex lapsu memoriæ turbatæ per imminencia pericula. Sunt etiam quidam naturâ timidi, quando in publico ipsis loquendum est, quod vel exemplo ipsius Ciceronis & Demosthenis summorum Oratorum probari posset. Cætera indicia transimus ceu remotiora: ut *frequentationem loci*, ubi aliquid patratum, *in solitum accessum*; quæ alio fine fieri possunt, quam ut maleficio patretur, ubi unusquisque magis bonum, quam malum præsumere debet in iis quæ in mitiorem partem interpretari possumus; *vicinum mala fama, conversationem cum improbis*, Nam & Noah. Loth. ipseque Salvator cum improbis vixit. *Receptationem*, quæ ex ignorantia vel consanguinitate aliquando accidere potest. *auxilium ad fugam vel asylum*, quod vel miseratio vel amicitia suadet. non *impedientem*, quia aliquando cum propriæ salu-

C 2

tis

is periculo conjuncta est ista obviatio maleficil. *Natione infamatum.* Nam alias omnes Cretenses delinquentes rapiendi essent ad torturam, quia Paulus Tit. 1. 12. dixit, Cretenses semper mendaces, malas bestias, ventres pigros, & hoc testimonium verum esse. *Non enim, apud quem res furtiva inventa est.* Nam & sic Benjamin Gen. 44. 12. apud quem Scyphus Josephi inventus fuit, torqueri potuisset, Sufficiant hæc, quis enim omnia omnium maleficiorum indicia comprehendet? 6. Insuper non leve dubium superest. An iudici sufficiant ista indicia, quæ ex rumore tantum vulgi ad aures ipsius pervenerunt: an verè etiam ista *indicia* prius iudici probanda sint? Si hoc, quot testibus? Unus testis *iure divino* rejicitur, sine exceptione: an sit ocularis vel auritus. Plures testes sufficientes raro in ejusmodi criminibus occultis adsunt. Testes singulares, pueri, minores, infames, mulieres, inimici, domestici vix fidem facient. Per tot ergo ambages iudici eundem est, usq; dum ad *indicia* perveniat: deinde demum ad *Questionem* ipsam re valde ancipitem & periculosam, i. e. per dubium ad dubium. *Innocentius III. c. cum oporteat. 19. X. de accusationibus,* inimicos aliosque inhabiles ne quidem ad inquirendum admittit. *Augustin. l. 1. qq. V. T. quest. 45. mulier nullam auctoritatem habet: nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, &c.* Quis enim in causa criminali admitteret mulierem, quæ nequidè in testamento testis est idonea. 7. Quid quod indicia ab aliquibus adferantur ridicula, ut turpe aut *malum nomen* esse indicium ad torturam; quod adeo placet *Ludovic. Cares in pract. Criminal. tract. de indicis & tortur. indic. 20.* ut allegat exemplum Abigaelis de Marito sua Nabal, loquentis 1. Sam. 25. 25. *quoniam secundum nomen suum stultus est.* Ad quamvis *convenienter rebus nomina saepe suis*, id fit per accidens, quod & *Quintil. l. 5. c. 10.* ostendit, *nomen in argumentum raro cadere, nisi cum aus ex causa datum sit, aut & ipsum alius cogitationis actualis causam.* Nec tantum nomen esse indicium sunt, qui censet, sed & illum primum è complicitibus torture subjiciendum esse, ut magis suspectum Hippolyt. de Marsil. *in pract. Criminal. §. expedit. n. 52. & ad l. 1. §. 1. n. 71. ff. de Question. Francisc. Cason. tract. de torment. c. 12. n. ult.*

Di-

*Dices tandem n. 12. Finis tortura est ut veritas tantum exprimat, non ut quis puniatur.* Resp. Solus finis non facit rem justam, si ipsa media quavis ferè poenâ capitali acerbiora sunt. Lusus est in vocabulis, aliquem non punire, & tamen doloribus aut cruciatibus ferè enecare. *Crudeles illos vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent.* Sicut in Phalaris, quem ajunt, non quidem in homines innocentes sed super humanum aut probabilem modum *favisse.* Senec. l. 2. de Clem. 4. At dolores morte ipsa & poena capitali non minores inferre, quid aliud est, quam punire. Alii adducunt *Isidorum Pelusiorum l. 1. Ep. 116. Cum sapiens veritatis inventum habeas, multiplicem tormentorum machinam, timore ad iudicium utere: quandoquidem divina lex improbis te constituit terrorem.* Resp. *Isidorus Monachus* de eo loquitur, quod fiebat suo tempore, non quod fieri debuisset Igitur ergo, non qua eundem erat, sed qua ibatur. Quid si diceremus, *Isidorum* errasse? vixit jam *Theodosii junioris* tempore & practicè locutus est, non theoricè. Vigebat tum temporis *questio* & tantum in diebus *Quadragesimæ*, ut ex *Codice Theodosiano l. 9. tit. 25.* patet, suspendebatur. *Prolixus* titulus extat tom. 7. *Oper. Basilici*, qui est tit. 50. lib. 60. quem admodum *questio* apud Græcos fuerit exercita. Quid igitur mirum, si erret communem errorem, *Keckermannus l. c. disp. 32. q. 4.* aliter excipit. *Si nullo planè,* inquit, *dolore veritas extorquenda esset &c. necessariò sequeretur, aut sceleratos ad supplicium esse trahendos, etiamsi nulla eorum propria confessio accedat, aut ex centum flagitiosis vix unum esse puniendum.* sc. propter defectum in talibus criminibus testium. Resp. Quæ necessitas juris naturalis requirit confessionum. Apud *Anglos* queritur *Reus*, quomodo decerni rem velit, monetque, respondendum esse, *Dei populi que iudicio*; id postquam responderit, nempe *Dei populi que iudicio decerni volo.* *Schmith, l. 2. Reip. Angl. c. 20.* tum *sive fateatur, sive diffiteatur, absque mora, si Duodecim virorum calculo condemnatur, diem ultimum obire necesse est.* id. l. c. 17. Confessionem quidem *Jontæ & Acham* legitimus; at illa fuit spontanea, non per torturam extorta, in casibus divinitus manifestatis, ubi nulla prius aderant indica,

F 6

dicia,

dicia. Si delinquens Reus *evidentibus probationibus convictus* tamen persistat in negatione sua; condemnari potest, omiſſa tortura. *Peinliche Halsgericht Ord. Art. 69. Si desinit evidentes probationes, in tantum puniendus, in quandum inquisitione est penetrabilis. Reliqua Deo committenda sunt.* Actus enim ex se non cognoscibilis, non est judicabilis. At occulta post diligentem inquisitionem non sunt cognoscibilia. E. Fergit Keckermannus. Quomodo satisfaceret severissimis mandatis divinis. Exod. 22. *Maleficos ne sinas vivere. & Deut. 19 Non misereberis eius, & auferes noxium sanguinem de Israël. ut bene sit tibi.* Resp. Hæc intelligenda sunt de Maleficis, quorum scelera *diligenti inquisitione eruta* sunt, aut erui potuerunt, ne sc. illa iudex negligentia sua evanescere aut inulta transire sinat, Deut. 13. 14. *injungitur iudici, ut inquirat diligenter*: nec tamen ut per torturam. Ita & Jobus 20. 16. *causas, quas non norat, investigabat.* Et Daniel in historia Susannæ v. 48. *Adone stulti estis Israelitæ, ut filiam israelis, non disquisitâ causa, nec aperte cognitâ, condemnetis?* Diligenti igitur inquisitione, sed sine tortura Deus contentus erat. Si quæ vero scelera ita in secreto patrata sint, ut omnem diligentiam iudicis effugerint, illa iudex non tenetur punire, & Deus voluntate contentus est. Deut. 21. 78.

Tandem aliud subtilius torturæ genus suadet, sc. VIGILIAS, prout fit in *Hollandia, ubi adhibito a reum custode, qui dormire volentem semper excitet, maximorum scelorum confessiones feliciter extorquerit.* Placet hæc opinio etiam Binsfeldio in *comm. in tit. C. de Malef. & Mathem. Hippolyto de Marsil. ad l. 1. in princ. n. 55. vers. aliud est tormensum. ff. de Questionib.* At hæc opinio vix *Juridicè* subsistit, multo minus *Philosophicè*. Non *Juridicè* quia illi ad essentialia *Questiones* requirunt vim & tormenta corporis. Hinc in *Jure* usitatissimæ phrasæ, *tormenta, torquere, interrogare per tormenta &c.* & clarissimus locus. l. item apud. 15. §. *questionem. 41. ff. de injur. Questionem intelligere debemus tormenta & CORPORIS DOLOREM ad eruendam veritatem. & post: cum igitur per vim & tormenta habitæ est questio: tunc questio intelligitur.* At virgi;

*vigilia non in se continet dolorem corporis.* Non *Philosophicè*, quia *virgilia* nimis homini mentem adimunt, turbant rationem. *Tactu enim, pulsione, clamore &c. excitatur sensorium, ut sensus externi quiescere nequeant, atq; ita etiam internos moveant.* His autem nimium affectis spiritus animales exagitantur, accendantur, & consumuntur. unde tandem sensuum internorum, memoriz, imò & rationis defectus sequitur. Quis autem deliri confessione in iudicando nitetur? *Novi quendam* inquit Galenus l. 3. de *Locis Affectis c. 5. qui ob laborem in studiis atque vigilias memortam penè amiserat, lesa etiam ratione.* Taceo alios morbos, qui ex nimis vigiliis oriri possunt. Hippoc. l. 2. Aph. 3. *Somnus & Vigilia, si modum exceſſerint, malum.* & l. 7. Aph. 18. *Propter Virgiliam πᾶσι τοῖς ἢ πᾶσι φεγοῦν, convulsio aut desipientia.* Galenus ibid. *Maximam vacuandi & exsiccandi vim habent Vigilia atque propevea à siccitate convulsionem adfert & desipientiam.* Altera ratio esse potest quia *jurisdictio Civilis* per se non versatur circa *actus internos*. Ratio est, quia *potestas coactiva* se eò usque ad interna non extendit. *Cogitationis pœnam* inquit Imperator & Pontifex c. 14. dist. 1. de *Pœnit. nemo paritur.* Cur? quia *vis coactiva* quam Philosophus, 10. Eth. c. ult. in omnibus mandatis & legibus requirit, eò usque se non extendit; neque ad id ut *sensum communem & πᾶσι τοῖς ἀιδυσιγῶν* homo semper in actu conservet, per quem deinde spiritus animales derivantur in sensus externos Hæc enim sunt supra formam civilem; & homo homini non subicitur secundum animam, sed secundum corpus. *Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis. mens sui juris est,* inquit Seneca. 3. de *benef. c. 20.* Potest quidem aliquando, quatenus connexi sunt externus & internus, unumque actum completerum humanum constituunt, indirectè & per per quandam consecutionem, actum internum præcipere, sed si iste non sit ultra naturam. Nam sic *ἀιδυσιγῶν*, inquit Philosophus. c. 1. de *form. & Vigil. fatiscet.* Insuper nullam habet hæc coacta *vigilia* proportionem ad torturam, sic ut dolores corporis habere videntur; est & contra naturam, vim interioribus animæ potentiis inferre.



Dices. At sæpe militi vigilias injungit Imperator, punitque si in excubiis dormientem inveniat. Resp. injungit, sed non supra naturæ vires, ita ut Vis faciendæ sit sensibus, sicuti in ejusmodi torturis. Potest enim homo per multas horas vigilare sine naturæ gravamine; præcipue metu perculsus, & ubi periculum imminet. Rariores enim tum vapores ascendunt, sensum communem occludentes. At ut per aliquos dies insomnis perduret, fieri vix potest. Omnia ἔργα κατὰ Φύσιν, inquit Philosophus l. de somno & vigilia, simul ac temporis modum exceßerint, læscant succumbantque oportet.

Atque hæc sunt, quæ de materia præsentis meditari voluimus; non eo fine, ut consuetudinem inveteratam abrogaremus: neque enim tam obtusi *gestamus pectora Pœni*; scimus semper *Præcticos* Jus tractaturos, quatenus manu & constitutionibus tenetur, sed quia nobis, qui Philosophiam juris *theoricè* scrutamur, & quatenus *ratione tenetur*, altera sententia videtur *tutior*. Exemplo nobis esse possunt ipsi *Jcti*, qui sæpe in Praxi aliud observant: si verò deinde *theoricè* rem examinent, diversam sectantur opinionem. Ingenia Studiosorum hoc *paradoxa* tantum exercere voluimus exemplo Ciceronis, qui itidem *paradoxa* ludens scripsit; nec semper seriò disputavit, imò & Catonis, qui sæpe, *cum in SENATU sententiam diceret, locos graves tractavit, abhorrentes ab hoc usu forensi & publico*. Cur non & nobis in Scholis liceret Studiosos *paradoxa* aliquo proposito ad veritatem indagandam excitare?

#### COROLARIUM.

**A**N Magnus ille *Jctus* *BENED. CARPZOV.* in *Pract. Criminal.* part. 2. quæst. 72. n. 47. sufficienter assignet poenam tantum *fustigationis* aut *relegationis* extraordinariam incestui inter Patrem & filiam commisso, *si filia, persuasa à Patre, se sine exceptione in omnibus & quibuscunque rebus ipsi morem gerere teneri, copiam sui fecerit*? Neg.

F I N I S.